DE

PRIMATU, ET ANTIQUITATE LINGUARUM

OPUSCULUM

EXCELLENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

F. AUGUSTINO GERVASIO

ORDIN. EREM. S. AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPO CAPUANO,

PRÆSULI REGII SACELLI, ARCHIGYMNASII REGII NEAPOLITANI PRÆFECTO &c. &c.

DICATUM.

NEAPOLI MDCCCIII.

EX TYPOGRAPHIA ORSINIANA

SUPERIORUM PERMISSU.

EXCELLENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

VIrtuti proprium eſt, ut & in minimis ſe maximam exhibeat, quod vel in rebus etiam inſenſatis ſpectamus; elevatiſſimus ipſe ac fulgentiſſimus Sol pleno in meridie radiorum ſuorum ardentiſſimum calorem minutiſſimis præcipue terræ corporibus infundere, eaque remotiſſima naturali quadam benignitate levata aſſociare ſibi conſuevit, ac ſi ab his magnificentiam ſuam collecturus.

Quod idem altiori isthoc modo proprium præprimis habet Avita Domûs Gervasiensis Pietas, ut quò sublimior & fulgentior, eò sit in indigos & egenos inclinatior ejusdem summa Clementia, & tanto intensiores in miserrimos quoque radios suarum evibret gratiarum, éaque ceu Sol viles atomos de longinquis terris attrahere in deliciis habeat, ac si potissimum ab hinc Suæ Excellentiæ magnitudo, Suæ potentiæ amplitudo, Suæ decor Dignitatis proveniat.

Sic Tua profectò, Excellentissime Domine, Cœlis se ingerens Pietatis amplitudo, sollicitudinis assiduitas, indefessa vigilantia, doctrinæ sublimitas, exacta justitia, incomparabilis Clementia, quæ dignissimum Ecclesiæ Antistitem secernentes constituunt, crevit, ut inter mortales, qui non summopere eas admiretur, esse neminem certo arbitrer. Quam vere divinam, domi forisque de suis curantem Clementiam multo felicior ipse in Reverendissima Excellentia Tua ab omnibus collectam longe maximam adoro, undique in Diœcesibus Tuis largissime diffusam, ubique indigentiis, pauperum præprimis, né iisdem corrumpatur anima, quoquo modo prospicientem. Eam sane esse fateor, ac tantam sedulitatem vigilantiæ in Excellentia Tua in colendis augendisque Celeberrimos per Lectores cujuscumque gene-

generis ſcientiis non minùs, quàm morum integritate inſtituenda tum in Regia hujus Metropoleos Studiorum Univerſitate, tum in doctiſſimo ac venerando Clero Regio, ut miros mihi animos eam addidiſſe minimè diffitear, efficacique iſtius exemplo adeo excitatum me ipſum, affectumque ſenſerim alacrior ideo redditus, ut Opuſculum iſtud, exiguum licet, arduum nihilominus, ſtatim ac literis commendare, atque publici juris facere ſtatui, elucubrandum ſuſceperim, elucubratumque Tibi Superiori meo ſacrare dicare conſtituerim, ſatis defenſionis & patrocinii in Poteſtate Tua inventurum iſtud ſpe certa gaudens.

Tanto dictis rationibus gaviſo Paſtore, Superiore, & Præfecto, præditas ſe ſe eſſe gaudent Diœceſes, lætatur Clerus Regius, exultat Studiorum Univerſitas. Jure utique gaudeo & ipſe, lætor, & exulto. Oblationis quidem abjectionem, vilitatemque perſpectam habeo, præſertim ſi hoc meum Opuſculum cum aliis doctiſſimis Operibus & elegantiſſimis Tibi dicatis conſeram, fateor equidem jure meritoque ultimum huic velut ab ingenii mei ruditate exorto locum deberi; Attamen Tibi Superiori meo Optimo eâ, quæ par eſt, animi demiſſione exhibeo.

Humillimus Servus
Petrus Abbas Muradgia.

Adm. Rev. P. M. Carolus Palella S. Th. Prof. perlegat autographum operis superius enunciati, & scripto referat. Die 5. mensis Aprilis 1803.

F. ROSSI CAN. DEP.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS

DE mandato Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ, Opusculum, cui titulus est: *de Primatu, & Antiquitate Linguarum &c.* inspiciendum accepi. Evolvi, perlegi, ac nihil contra Catholicam Fidem, sanam Moralem, ac Regia Juria comperi. Quapropter, in publicam lucem ut prodeat, oppido existimo. Datum in Regali Conventu Carmeli maj. Neapolis. Die 7. Aprilis 1803.

Humillimus, ac addictissimus Famulus
Fr. Carolus Magister Palella.

Visa relatione Ecclesiastici Revisoris imprimatur. Neapoli die 6. mensis Aprilis 1803.

F. ROSSI CAN. DEP.

D. Domenico Genovesi P. Professore rivegga, e riferisca quì sotto, 5. Aprile 1803.

F. A. CAP. MAG.

EXCELLENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRÆSUL

Opusculum = *De Primatu, & Antiquitate Linguarum* a docto, proboque Viro D. Petro Abbate Muradgia summo studio elucubratum per formas litterarias dignum censeo publica luce, cum pro nihilo Regiis juribus, vel bonis moribus adversetur. Dabam Neapoli Nonis Aprilibus anni æræ vulgaris MDCCCIII.

Humillimus Cliens
Dominicus Genuensis.

Visa relatione regii Revisoris U. J. D. D. Dominici Genuensis de commissione Reverend. Regii Cappellani Majoris.

Die 9. mensis Aprilis 1803. Neapoli.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Regii Revisoris; Verum non publicetur nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat servata forma Regalium Ordinum; ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum &c.

BISOGNI. CIANCIULLI.
V.A.R.C.

Illustris Marchio de Jorio P. S. R. C. ac cæteri spectabiles Aularum Præfecti tempore subscriptionis impediti.

De Marco

Izzo Canc.

Reg. fol.

PROŒMIUM.

CUm profecto mentis meæ vires ad Quæstionem hanc enucleandam prorsus imbecilles, tantæque ejus dignitati sustinendæ impares omnino existimarem, tum ratione ejus non paucis difficultatum nodis implicata, tum inchoantis causa, senescente jam ætate, memoriæ infirmitatis, sane meipsum animi pendentem, perplexumque penitus sentiebam.

Nihilominus tamen, cum non solum vehementioribus nonnullorum petitionibus & amplitudine scientiæ, & celsitudine dignitatis pollentium, necnon summo in hoc, ac præcipuo assensu Sapientissimi Antistitis Deodati Babigh Archiepiscopi Armeni Ecimiazinensis Tergesti residentis, impulsum me viderem, ut ejusmodi Disputationem elucubrandam susciperem, elucubratamque excudendam curarem, verum etiam studiositatem eorum longe laudandam ab ingenii potius nobili perspicacia ortam, quam futili nugacique inquisitione partam valde admirarer, summo meo gaudio omnem omnino torpedinem, perplexitatem eliminavi, cernens me tunc, verum dico, quasi juvenescentem lætantem & exultantem. Atque continuo animum ad opus constitutum appellere judicavi, constitutumque solerter perficere, perfectumque justo atque decenti redimire triumpho.

Vera utique Propositio est, tamen non hactenus cognita, quippe quæ nondum ab aliquo ad trutinam revocata. Sed cur ex tot, tantisque Scriptoribus nullus hactenus hujusmodi onus ac studium susceperit *decisive*

rem demonstrando, eamque, ut æquum erat, defendendo, potissimum in triplici causa fuisse reor, *vel nimirum justum debitumque serio eam ad calculum reducendi studium cordi eis non fuerit, vel non minus justum veritatem sartam tectam tuendi studium omnino neglexerint, vel celebriores cujuscumque linguæ Historicos Traditionis conservatores, nec non literalis veræ sententiæ Scripturæ Sacræ expositores simul omnes conferre haud forte potuerint*. Neque id mirari quis debet; nullus enim ex Scriptoribus, vel Expositoribus tamquam infallibilis habendus, cum præcipua isthæc ratio Prophetis, Evangelistis, Apostolisque fuerit tributa, sed qui justis, debitisque demonstrationibus veritatem attigerit, is unus in hisce rebus præferendus, laudeque dignus existimandus, ut apud viros doctos est in confesso.

Quapropter cum indicatum studium magni fecerim ipse, atque veneratus sim, ideo sustinendam suscepi Quæstionem istam, sustentaque jure merito ut triumphet, satagere pro viribus nullo pacto neglexi. Istam, inquam, non solum curiositate fœcundam, sed dignam item, ut ad eam animadvertatur, quinimò non minus utilem, affirmare ausim, quàm necessariam.

Rideret quis fortasse, cum isthæc audiret verba, diceretque de hujusmodi Propositione sermonem instituere ineptias omnino videri, ideoque curiositatem quamdam inutilem, haud necessariam, imò puerilem potius prætensionem.

Attamen ea est sic cogitantis opinio, ut in errore versari sit prorsus dicendus; quandoquidem in ejusmodi decidendis rebus sententiæ Sapientium atque consilio adhærendum, qui asserunt fore, ut, qui serio id expenderet, longe aliter judicaret, longeque utile & ne-

necessarium fateretur, cum, ab eo præferentiam dependere & electionem, ab hoc autem magnum distinctionis lumen, veræque cognitionis, omnino sit certum.

Nam si ab historiis variis linguis scriptis tot ac tanta cujusvis generis commoda humana progenies nacta est, cum nemo ignoret, quid Livius de historia in universum dixerit, *illam scilicet omne genus exemplorum suppeditare, quorum alia, quid imitari, alia vero, quid vitare debeas, commonefaciunt:* quò plura a vetustissima, & principe lingua perscriptis, in qua memoranda illa rerum eventa jam inde ab orbe condito traduntur, testibus Clemente Galano, & Jacobo Villotte, sibi comparavisse dicenda? Si a scientiis cujuscumque generis utile, atque bonum regiminis qua privati, qua publici eidem redundavit, quò magis a prima scientia, atque sapientia, quæ divinitus inspirato continentur libro, vera ac tutiora quæcumque bona ad primum principium debita cum subjectione cognoscendum procul dubio proficisci fatendum, cum fideles adversus fidei hostes eum defendant, lumina ab eo vera recipientes, isthæc cum eodem ipso in principe lingua perscripto conferentes ad magis veritatem proruendam, ut arrogantes magis confundantur, nec non ignorantes quique, ut infra patebit, atque ex integra ejus sententia fideles plenius in moribus instituantur? Quis præterea negare poterit lectionem variarum versionum maximam afferre lucem, neque paucas utilitates tum Expositoribus, ut obscuriora ac intricatiora clarius atque perfectius explanare valeant, Concionatoribus, ut validiora sua reddant verba, magisque persuasos auditorum suorum animos efficiant, nec non Panegiristis, ut ornatiores suas exhibeant orationes, nitoremque ipsis adaugeant, tum iis, quibus

profundius res perpendendi, contemplationes spirituales sub altioribus ruminationibus perhibendi ad animas in amore Entis amabilissimi magis in dies fovendas præcipuum munus incumbit? Quis iterum sanæ mentis diffiteri ausit, ab una voce, ab una quidem Syllaba, ab una vel simplici litera, ut manifestum erit infra, tot, tantarumque dependere decisionem justam controversiarum ad librum ipsum, Sacras nempe literas, pertinentium, unde veritas non minus dogmatica, quàm moralis derivatur, cum id quibusque fere sæculis Catholica experta sit Religio, ac tandem sic de superborum arroganti temeritate, suisque cupiditatibus excæcatorum tantum triumphum?

Ast tanti utilitas momenti, atque cognitio tam necessaria ad infideles, hæreticos, atheosque egregie reprimendos, undenam oriuntur? nonne a genuinæ sententiæ, vis distinctæ, rationis peculiaris, insitæque linguarum proprietatis plena cognitione, accurata peritia, legitima possessione? Fatendum igitur perfectam linguarum scientiam esse thesaurum absconditum, pro quo vendantur omnia oportet, præferendo scilicet id studii cuivis alii curæ, ac labori; cum, clavem scientiarum esse linguam, quam quò quis perfectius perdiscit, eò facilius illas & excellentius sibi comparat, qui nesciat, sit certe nemo. A quanam re, quæso, moti sunt Athenienses ad colendum illud, quod ignorabant? nonne utilitate impulsi, atque etiam necessitate, ut infra perspicuum erit? Eapropter non minus utilem, quàm necessariam, asserere ausus sum.

Servata itaque methodo debita ad enucleandam quæstionem accedam necesse, elegantia dicendi emblemata minimè aspirans, venustasque rationes, nitorem ac ve-

veneres orationis, metaphorasve, quæ obscuram potius, infirmamque reddunt loquendi efficaciam, vim afferendi, confirmandi, malens aperta, quàm nitida habere verba, investigaturus dumtaxat venerandam rerum veritatem.

Atque priusquàm tela confringam Propositionis impugnatorum, bellumque mihi infestum indicturorum, probatio ejusdem ineluctabilis præcedat oportet, argumentis quidem quadruplici a fonte petitis.

En nihil amplius meipsum detinens, aggredior utique, probaturus eam prius, ut decet, ac proinde soluturus etiam atque etiam objectiones ejus.

Quæritur, quænam ex Linguis Mundi sit prima, nempe Adami?

UT clariori in lumine quæstio isthæc collocetur, & quæcumque excogitata Adversariorum objectio deinde, ut par est, solvatur, animadvertendum est

Primo loco, quod juxta Scripturæ sacræ Oraculum linguarum confusio tunc temporis, cum Babelica Turris construebatur in Sennaar Chaldæorum terra, evenit. Hinc ab Adamo ad illud usque tempus una erat lingua omnium, unoque ore loquebantur omnes, uti ex eadem, & ut Armeni legunt ex Septuaginta versione *erat omnis terra lingua una, & loquela una omnium*. Gen. 11. 1. & 6.

Secundo loco, Arcam Noe post Diluvium requievisse super Montem altum Armeniæ, seu Ararat, qui ex Syriaca, atque Latina Versione dicitur Mons Armeniæ; at in Textu Hebraico, & Versione Samaritana, & Septuaginta vocatur Ararat; in Versione verò Chaldaica, & Arabica dicitur Mons Gortvaz. Sic etiam *l.* 4. *Reg.* 19. 37. *& Isaiæ* 37. 38. *& Jeremiæ* 51. 27. Terra Ararat vicissim alicubi vocatur Ararat, alicubi vero Armenia, & alicubi Gortvaz.

Etiam Josephus *l.* 3. *Antiquit.* illum vocat Montem Armeniæ, atque addit Pyrrum Chaldæum ponere Montem Gortvaz in Armenia. Sic quoque Aputinus apud Eusebium *Chronol.* 1. *pag.* 8. Armeniæ dicit.

Nicolaus autem Damascenus juxta Traditionem ejusdem Josephi ponit Beris Montem Armeniæ (pro Monte Masis). S. Epiphanius vero contra hæres. *l.* 4. &

Cedrenus, & nonnulli alii illum vocant Lubar Montem Armeniæ, & Singhilius *pag.* 23. illum nominat Ararat Montem Armeniæ. Sic etiam alii, quos referre operosi laboris esset.

At nihil mea refert, neque magnopere laboro, quo potius nomine Mons ille dicendus sit, vel cur diversis nuncupatus nominibus fuerit, cum omnes unanimiter illum in Armenia esse fateantur.

Moyses Chorenensis Historicus vetustissimus Armenus in historia sua, quam adducit a Maripas Cadina *l.* 11. *&* 14. inquit, illum Montem ab Amasia Armenorum Patriarcha primo vocatum fuisse Masis, & postea nomen Ararat a denominatione Provinciæ ab Ara vocatæ Ararat, sortitum fuisse. Gortvaz vero, forsan, quia Montes Gortvaz, celebriores sunt in Provincia Armeniæ, vocanturque Montes Armeniæ, a quibus tanquam a partibus notabilibus poterat etiam magnus ille Mons Ararat, necnon Provincia quidem vocari Gortvaz.

Tertiò loco, exsiccatis Diluvii aquis, ut Sacræ literæ *Gen.* 9. 20. *Josephus l.* 3. *Antiq. Singhilius*, *Cedrenus*, *Samuel*, *&* *alii*, Noe egressus de Arca descendit ab illo Monte, & in terra Ararat fecit sibi *Icevan* habitationem, & habitavit cum filiis suis in illa; quamobrem vicina Provincia vocata fuit *Nabcevan*, id est, *Nabni icevan* prima habitatio. Josephusque testatur fuisse vocatum illum locum Armeno idiomate, nomine , quod Græce *Apobaterion*, id est, locus descensus, sonat. Noe ibidem plantavit vineam, *ut* truncum vitis; unde etiam locus dictus fuit ab Armenis *Arguri*, qui adhuc ab illis rusticis dicitur *Aguri*. Noe mortuus est in Armenia, & ibi sepultus, ut ex vetusta quadam Armenorum historia. Georgius etiam, Cedrenus Historicus Græcus

cus *pag.* 12. nec non Georgius Singhelius *pag.* 45. & 78. id ipſum fatentur: Armena etiam hiſtoria refert, quod cum uxor Noe nomine *Nemzar*, ſeu juxta Samuelem Seniorem *Nojemzar* clauſit ſupremum diem, filii ejus ſepelierunt eam apud illum locum, qui fuit nominatus *Marant* nempe *Majrant* Mater ibi.

At re quidem vera Noè in Armenia ad mortem uſque manſiſſe patet ex eo quod, cum veteres hiſtorici referunt, uti ex Scriptura, Arcam Noè requieviſſe in Armenia, atque Noè ibi manſionem fixiſſe ſuam, quando verba faciunt de morte ejus, haud meminère, ubi ſit ipſe mortuus; ex quo colligitur clarè ipſum non egreſſum fuiſſe ex Armenia, ſed remanſiſſe ibi ad mortem uſque, ibidemque ſepultum, ut jam dictum eſt. Joſephus quoque ſcribens de Noè non dicit ipſum deſcendiſſe in Sennaar, ſed enarrata ejus morte *l.* 1. *c.* 3. ſcribit capite ſequenti filios Noe, poſteros nimirum ejus, deſcendiſſe in Campum Sennaar. Infertur igitur ipſum in Sennaar non deſcendiſſe.

Quarto denique, tres filios Noe, Sem, Cham, & Japhet, Patre adhuc ſuperſtite, multiplicatos fuiſſe in terra Ararat uſque ad fines illius in generationes ſuas, antequam Turris conderetur, adeo ut, cum terra illos capere præ multitudine non poſſet, multi tempore Phaleg, ideſt *diviſionis*, ut Sacræ literæ, & Hiſtorici teſtantur, demigraverint ad auſtralem plagam Occidentis in Meſopotamiam, inventoque Campo magno in terra Sennaar, in eo ſedem poſuerint, atque multiplicati ibi Civitatem, & Turrim ædificare voluerint.

Confirmat id Calmet quoque in *Expoſit. Script. Sacr. in Proœm. pag.* 16. *Tantam multitudinem hominum, inquit, qui creverant, non capiebat unus locus*,

ideo opus erat, ut dividerentur. Quia est incredibile eos omnes, qui habitaverant, & multiplicati fuerant in Armenia, & plantaverant ibi vineas, & ædificaverant domos, ut legitur *Gen.* 9. 21. reliquisse totaliter foecundam illam, deliciosamque terram, & profectos esse illinc omnes omnino ituros in Sennaar: ut colligitur etiam perspicue ex historia Maripæ Cadinæ adducta a Chorenensi *l.* 9. *c.* 11. dicente: *redux Hajg in Armeniam post ædificationem Turris invenit ibi aliquibus in locis habitantes dispersos ante ædificium Turris*. Ergo non discesserunt illinc omnes. Sed Chorenensis cum scribat *invenit paucos*, dicit hoc quoad illos locos, quos primo petivit Hajgh, non vero quoad totam Armeniam; & cum scribat *de primis dispersis*, intuetur dispersos illius temporis, quando homines multiplicati in Ararat, fuerant dispersi ubique in finibus Armeniæ ante Turris ædificationem, ut dictum est supra.

Præterea tempore, quo ædificabatur Turris, adhuc vivebat Noe; nam ex supputatione Chronologorum condita fuit Turris anno 114. aut 200. circiter post Diluvium; Noe autem vixit post Diluvium trecentis quinquaginta annis. *Gen.* 9. 29. Porro certum est Noe non fuisse cum eis, qui ædificarunt Turrim, quia Scriptura Sacra vocat eam consensum malitiæ. *Sap.* 10, 5. cui ipse adsensum minime præbuit suum, neque inde aliam petiturus regionem discessit, sed in Ararat prope Arcam, qua ipse, domusque sua innoxii ab aquis Diluvii evaserant, remansit, ut supra in Tertio dictum est.

At cum in Scriptura hæc verba habeantur: *Gen. c.* 10, 32. *hæ familiæ Noe juxta populos, & Nationes: ab his divisæ sunt gentes in terra post Diluvium*; Dicendum Noe ibi remansisse, unde gentes divisæ abierunt

runt in Sennaar, ubi ipsarum lingua confusa fuit, ut Scriptura testatur „*cum proficiscerentur c.* 11. 2. „ quæ quidem motio, atque profectio tantum ad illas pertinet gentes, quæ discessionem fecerunt „ ut quisque videt, dummodo sit sui compos, non vero ad Noe, cæterasque gentes, quæ ibi, scilicet in Armenia una cum eo remansere; cum Scriptura non dicat: hæ omnes familiæ Noe profectæ sunt, sed, *ab his divisæ sunt gentes*: alioquin minime certum esset Divisionem a Scriptura indicatam revera evenisse. Cum quod divisum, separatumque est, conjunctum atque unitum dici nequeat. Cum ergo remanserint in Armenia gentes, dictæ Divisionis partes, extra omne dubium est etiam linguam, qua utebantur, fuisse omnis omnino confusionis, mutationisve expertem.

Quibus positis, pro certo fatendum est, primam hominum linguam, scilicet Adami, Noé, &c. fuisse linguam, qua Armeni usi sunt, atque utuntur. Nam certum est linguam Noé, filiorumque ejus, antequam Turris in campo Sennaar conderetur, fuisse linguam primorum hominum, seu Adamiticam; sed Adami lingua illa est, qua usi, atque usque ad hoc tempus utuntur Armeni; ergo lingua ipsorum est prima humani generis lingua. Majoris propositionis veritas satis elucet ex eo, quod primo loco animadversum est.

Probatur igitur Minor; Certum est aquis Diluvii exsiccatis, postquam Arca super Montem Armeniæ scilicet Ararat requievit, ut jam supra demonstratum est, Noé cum sua familia sedem in Ararat, quæ vocatur *Nahcevan*, posuisse, ibique supremum obiisse diem, atque sepultum fuisse, & cum multiplicati essent filii ejus adeo, ut terra eos præ multitudine capere non posset, propterea nonnullos ex eis petivisse Sennaar; quis

afferet illius regionis incolas lingua Noé non usos fuisse, qui, ut Calmet ipse fatetur in procemio Script. Sacr. expertes fuerunt Babelicæ confusionis?

At Natio, quæ a Noé suam duxit originem in Ararat scilicet in Armenia, eadem semper remansit, nec in aliam mutata ullo unquam tempore fuit, sed hactenus a filiis in filios propagata, Linguamque suam semper integram immutatamque servavit. Ideo lingua Armeniæ, seu Armenorum est lingua Noé, atque adeo Adami. Minor igitur satis patet.

Solvuntur Objectiones.

I. NOnnulli, inter quos Philastrius, adserunt ante confusionem linguarum plures extitisse linguas; idque probare nituntur ex illo Sacræ Scripturæ loco: *isti filii Sem, secundum cognationes, & linguas, & regiones, in gentibus suis.*

Et cum ipsorum sententia Scripturæ auctoritati contraria videatur, ideo dicunt *unitatem linguæ a Moyse dictam non secundum eundem verborum usum, sed secundum eandem sensuum intelligentiam accipiendam esse.* Quam interpretationem abhorret adeo Alphonsus Castrensis *l. 9.* adversus hæreses, ut existimet eam esse hæreticam. Cum Philastrius ipse non animadverterit dicta fuisse illa verba a Moyse *per anticipationem*. Et hanc esse veram hujus loci interpretationem docet etiam Augustinus *l. 16. de Civit. Dei, c. 4.* dicens: *cum ergo in suis linguis istæ gentes fuisse referantur, redit tamen ad illud tempus narrator, quando una lingua omnium fuit; & inde jam exponit, quid acciderit, ut linguarum diversitas nasceretur; & erat, inquit, omnis terræ labium unum,*

unum, *&* *vox una omnibus*. Idem etiam fatetur Joan. Chrysostomus homil. 30. in Genesim; ut refert Celeberrimus Dominicanus Xystus Senensis in Bibliothecæ suæ Sanctæ Adnotatione 87.

II. Armeni vocantur Háj a nomine Hájg filii Thogormæ, filii Gomer, filii Japhet, filii Noé; Sed Hàigh juxta Historiographos Armenos concessit Sennaar cum divisis gentibus, ubi, dum conderetur Turris, confusio facta est linguarum; ergo etiam lingua ejus, & Nationis Háj, fuit confusa, licet lingua habitantium tunc in Armenia remanserit expers confusionis.

Respondetur nihil hoc obesse veritati expositæ propositionis; Nam id evenit ex eo quod Armeni acclamantes Hájghum regem, quippe qui robore singulari donatus, atque rebus gestis longe illustris, ulturus de Belo truculento ac sæviente, commisso adversus eum bello, jaculo ternis alis structo percussum interfecit, fugatisque pugnatoribus ejus in montes & campos, reportavit insignem victoriam, ideo voluerunt gloriari etiam nomine ejus adeo celebri denominantes sese Háj, qui sunt idem ipse populus Araratensis, iidem *Aramjánk* Arameni, seu Armeni ab Aram filio Sem, ut refert idem Chorenensis *l.* 1. *c.* 10. *&* 11. quemadmodum cæteræ quoque Nationes postbabelicæ variis denominabantur nominibus ob varias relationes, ut populus Hebræus nominabatur Hebræus ab Abrahamo, Israel a Jacob, Judæus a Juda, ut patebit infra, ut Græci etiam denominati sunt Hellenes a nomine Hellen filio Deucalionis, eoquod ille regnaverit super Græciam.

III. Lingua prima non existit, sed mutata est in aliam; ergo, &c.

Probatur antecedens: In variis mundi partibus homi-

mi-

mines antea loquebantur in alia lingua; nunc vero in alia; sicut in aliquibus Regni Neapolitani locis loquebantur homines antea Idiomate Græco, postea vero initium sumpserunt Italice loquendi; ita etiam in Armenia primo loquebantur homines in lingua Hebræa, vel in aliqua alia, & postea fuit introducta Armena; ergo verum est Antecedens.

Respondetur primo mutationem linguarum in aliis mundi partibus evenisse post productionem linguarum Babelicarum, sed non ante ipsam, quia una tantum lingua existebat, ut satis supra probatum.

Secundo, ex historiis gentium tempus certum ac distinctum clare constare, quod indicat in tali mundi parte antea fuisse talis identicæ linguæ usum, deinde tali alio tempore alterius linguæ, atque ideo etiam talem locum ex illa nova lingua denominatum fuisse, quemadmodum antea aliqua Regni Neapolitani loca vocabantur Magna Græcia, nunc vero ex usu linguæ ab eo usque tempore introductæ aliis quoque nominibus denominantur. Sic etiam si evenisset unquam in Armenia substitutio aliqua alterius linguæ, debuisset utique Armenia denominari etiam a nomine illius novæ linguæ; Sed Armenia non solum inde a principio Noe vocabatur Armenia, sed etiam post productionem linguarum, ut clare vocatur ita ab Scriptura Sacra cujuscumque Versionis, ut probatum supra, & ita fuit semper vocata, atque hactenus provinciæ Armeniæ tali identico nomine ab omnibus Mundi Nationibus vocantur; nulla ergo fuit unquam novæ alterius substitutio linguæ in Armenia, sed eadem ipsa vetus ad hunc usque diem remanet pura, integra; & quomodo permanserit eadem, & ubinam, & in quibusnam libris, en sigillatim demonstro; nulla, in-

inquam, fuit mutatio linguæ in Armenia, sita in vasta Eden, fontibus Magni illius Euphratis irrigua, quæ gloriose jactatur in suo se amœnissimo excepisse horto generis hominum patrem, ut ab Omnipotente fuit formatus; quæ adeo fortis bellicis actionibus; ut Persarum, Græcorum, Alanorum, Saracænorum, ipsorum vel Romanorum fregerit conatus, testibus quoque præter tot Annalium Scriptores vetustissimis ipsis Vaticani pyramidibus; quæ vidit utique prima super diademata Regum suorum refulgere Hominis Dei trophæum confitentibus id tot invictis Martyribus. quis poterit unquam satis commendare præcipuam Nationis Armenæ docilitatem, venerationem tantam, quæ ab ea Ecclesiasticis præstatur, summamque erga Deum pietatem hactenus perdurantem, adeoque efficacem, ut locum dederit Ecclesiis mille in Civitate *Ani* ad Montem Ararat, nec non cœnobiis quadraginta duobus super mille in sua ipsius vastitate Sancto Nierses I. Patriarcha, testibus quoque Clemente Galano, & Jacobo Villotte? Nemo unus, ni fallor. Sed quonam raptum me video? memini nunc, ad metam igitur redeundum.

Ipsam integram, incorruptam, immutatamque inter tot, tantasque vicissitudines, ut videbitur infra, semper remansisse indubitatum, ut testatur Villotte etiam, cujus verba hæc sunt: *Antiqua illa lingua literalis Armena in tantis rerum perturbationibus integra mansit, pura, incorrupta, beneficio maxime plurimorum, & gravissimorum Auctorum tum veterum, tum etiam recentium, qui illam ad nos usque illibatam transmisere.*

Notatu dignum, necessariumque duco, ad hunc nimirum usque diem sermone puriore, vocabulisque gentilibus, ac nitidioribus uti Armenos in ipsa Armenia ha-

habitantes magis, quam in alienis provinciis, ut testatur ipse quoque laudatus Archiepiscopus Babigh; nam habita consuetudine cum aliis Nationibus, usus comparatur, ac facilitas quodammodo recedendi a genuinis Linguæ vocabulis, commiscendo scilicet voces peregrinas, vel amputando aliquam syllabam, aut elidendo nonnullam literam, aut non nisi mutando eam, & hac ratione prodiit quidem dialectus, seu vulgaris; Attamen existit, atque viget hactenus antiqua illa literalis in libris majorum, veterumque Scriptorum, nempe Agathangeli Magni Scribæ Augusti Drtadis Armenorum Regis filii Chosrophi Regis potentis Armenorum, S. Gregorii Illuminatoris, Byzantii, Socratis, Zenopii, Joannis Patriarchæ, Davidis invicti philosophi, S. Jacobi Archiepiscopi Mizpinensis, Sancti Isaac magni, Mesrobi Doctoris magni; Moysis Chorenensis, S. Gregorii Abbatis Narieghensis Angelici Oratoris, S. Nierses *gratia plenus* nuncupati Archiepiscopi Glajensis Poetæ nulli secundi, qui triplicem Scripturæ Sacræ sententiam ligata oratione amplexus est, in Sapientissimo Sermone exhortatorio in Synodo Nationali habito S. Nierses Archiepiscopi Lampronensis, utriusque Cyrilli, Moysis Grammatici, in Expositione Isaiæ Prophetæ; aliorumque; quamvis inde ab initio primitiva pura literalis restans nobiles inter, & sapientes, conservata in libris, fuerit ipsis Armenis literalis, seu Scripturalis, consistens primitivis ingenitis regulis servatis ab Armenis longe peritis, qui erant celebres Scriptores vigente idolorum cultu, qui multos libros literis prodiderunt, sic testante Celebri Moyse Grammatico: *de regionibus, necnon provinciis, de singulis quoque familiis, omnibusque contrarietatibus, atque conventionibus nunc apud nos extant Codices infiniti, quibus* *con-*

continentur res innumeræ in literas publicas relatæ. *Choren. l. 1. c. 2.* Sed ex istis Codicibus remanserunt nonnulli, multi vero, nondum existente Typographia, jacturam passi sunt, alii bellis, alii Langtamure Persidem, Mesopotamiam, Armeniamque devastante an. 1386. incendiis combusti, aliique longo tempore putrefacti, ut alii etiam sine memoria humati. Non obstantibus tamen istis infortuniis, ut rei veritas posteritati manifesta, innegabilisque redderetur, adhuc existit, & existet quidem una cum Natione, atque existens in libris majorum, ut indicatum est, conservatur item in Menologio, Breviario, in libro Hymnorum *de Sanctis* magni habito, dicto *Sciaragân*, in Rituali, aliisque recentibus genuina lingua elucubratis. Princeps librorum istorum omnium est Scriptura Sacra, Armenice nominata *Asdvazasciunci*, ideft, liber divinitus spiratus, quam oportet jure meritoque vocare non solum thesaurum primitivæ puræ linguæ Armenæ, sed Oceanum vocabulorum majestate præditorum. Versionis aureæ Divinorum oraculorum; nullus enim est in ipsa liber, nullum Caput, nullusque versiculus, qui non fuerit a Versione Septuaginta admirabiliter, ac cœlesti adsistentia redditus, atque selectis decorisque vocibus interpretatus a Sapientissimis illis Sanctis Interpretibus Armenis, Beato scilicet Mesrobo, & Sancto Isaac una cum suis ipsorum discipulis Moyse Grammatice, Davide philosopho, & Mampré, asserentibus id præter Doctores Armenos non solum Chorenensi *l. 3. c. 53.* sed item non paucis Græcis, atque Latinis. Nam ea præcipua, circumspectà & prudenti electione inter tot varias, quas, ut brevitati consulam, recensere omitto, Versiones instituta, eaque sapienti perspicacia penetravere ipsi genuinam

nam Textus interpretabilis sententiam, ut Versionem ipsorum vocare potius Prophetiam, quam Interpretationem liceat; cum mens ipsorum fuerit illuminata ad intelligendum & exponendum quæcumque sunt in sermonibus obscura, sive propter difficultatem rerum significatarum, sive etiam propter ipsas voces ignotas, sive etiam propter similitudines rerum adhibitas. Videtur namque in non paucis Scripturæ Sacræ locis, quod illud, quod post examen tot sæculorum ambitu de eadem institutum conati sunt celebres expositores enucleare, neque desistunt, ipsi jam cum apprime id penetrassent, una, aut duabus vocibus extricarunt, deciderunt, & revelarunt in suamet ipsorum Interpretatione, superhumana potius affirmare ausim, quam humana, ut non solum Baro Pedis de la Croix Gallus Lector Regius, & Interpres linguarum Orientalium in præfatione ad historiam Celeberrimi, ac vetustissimi historici Moysis Chorenensis Armeni Latine ab Anglis doctissimis redditam, testatur Versionem Armenam Scripturæ Sacræ Reginam esse omnium Versionum, sed etiam Dictionarium Armenum Literale Venetiis an. 1749. editum; perfectissimum sane, omnique laude dignum, in quo non solum videbit quisque positam etiam claro in lumine intricatissimorum Scripturæ Sacræ locorum veram sententiam, nec non varia discrimina nominum præsertim animalium, plantarum, staterarum, mensurarum, denariorum, ornamentorum, constellationum, aliorumque tum in novo, tum in Veteri Testamento Variarum Versionum, sed insuper mirabitur sane nominum cujuscumque generis entium sylvam, multiplicemque opulentiam non minus vocabulorum, quam verborum tum diversarum significationum, tum synonymorum, quascumque scientias

 spe-

ſpectantium, perſpicue indicatis eorum omnium ſignificationibus qua primogeniis, qua etymologicis; adeo ut abundaſſe olim Armeniam doctiſſimis viris, qui in variis illis ſcribendi generibus excellerent, evidenti argumento convincatur. Ea quippe eſt admirabilis innumerarum vocum compoſitarum conditio, ac ratio, ut ad eas Latine, Gallice, aut in quamlibet Orbis Linguam reddendas, binis, vel ternis, vel pluribus forte vocibus opus ſit ad veram earum exponendam, integramque ſententiam. Atque ſic paucis vocibus compoſitis continetur non paucum elegantiſſima exponendi majeſtate, pulcherrimaque dicendi ratione non minus, quam perfecta ſententia, admiranda energia, ſono dulciſſimo, atque vi plena gravitatis.

Cupienti autem de ſingulis capitibus laudem linguæ ſpectantibus plenius certiorem ſeſe reddere, ſatis erit laudati Dictionarii doctiſſimum Proœmium necnon præſtantiſſimum legere. Minime tamen omittendum duco, experientia ipſa demonſtrante, quod pro certiſſimo argumento haberi debet, quantum experiri ipſe quoque potui, Conſtantinopoli ortus parentibus piis Armenis Orthodoxa pro Fide perſecutionem ſævam, necnon vincula non ſemel perpeſſis, cum has, aliaſque diligentiſſime didicerim linguas, operam aſſiduam quadriennio, ſedulamque ſtudiis impendens celeberrimos illos penes Religioſos Armenos Michitariſtas Venetiis reſidentes, necnon Romæ in Collegio Urbano de Propaganda Fide annos per octo celeberrimis ſub Lectoribus LOPEZ, CERBONI, LEONE, Sacræ quidem Theologiæ Laurea Doctoratus ibidem inſignitus, Linguam nimirum Armenorum primam humani generis linguam eſſe, ſcilicet, quicumque hujus Linguæ ſcientia a teneris unguiculis præditi ſunt, ſive

illa

illa literalis, sive communis, vulgarisque fit; optime Linguarum Gentium omnium quæ in Mundo sunt, perfecteque posse eos proferre voces, adeo ut inter variarum Gentium, populorumque homines Armeni soli ipsorum linguis loquentes ab ipsis non distinguantur, genuinum linguarum quarumcumque sonum perfecte proferentes, cum Armena præexistens cæteras omnes virtute ipsa contineat, quippe, quæ alphabeticis prædita sit literis novem & triginta, suas proprias habentibus singulis figuras, suosque distinctos sonos, sic postulante natura ejus cæterarum omnium dominatrice, ipsi autem singuli statim distinguantur, & dignoscantur; quod quidem non accideret, nisi semina atque primordia linguarum omnium in ipsa Armena, utpote omnium prima, & mater, omnia continerentur, quæ tamen non omnia in singulis earum, cum id singulare ac proprium sit linguæ tantum Armenæ ob characterem sui primatus.

Sed primam hominum linguam, Adami nempe, esse ipsam Armenam clarissime liquet etiam ex innata, naturalique etymologia, qua sunt prædita innumera ipsius linguæ nomina, atque verba; proferam in medium saltem nonnulla, ut probata maneat veritas propositionis: *nabábajr* primus pater, Adamus. *nabasdiegz* primus creatus, Adamus; *buogazin* formatus é limo, Adamus. *Nahamájr* Heva, a *nab* prima, *majr* mater, *guogazin* formata é costa, Heva, quæ significat quidem Armenice respirantem a verbo *bievál* respirare; *aschárb* mundus, locus fletus, a verbo *aschariél* flere. *jerghír* globus terraqueus, a *jérgú* duæ, *ir* res, quippe qui terra & aqua constet. *é* ens a se, Deus. *asdvadz* Deus, a verbo *basdiel* confirmare, creare, utpote ipse est creans, & confirmans. *zniepiégh* asparagus, a *zin* natus, *piégh* alb- re-

rescissus, ab ipso enim ortu vix natus rescinditur. *vorti* filius, *vor* qui, *tiél* fugere, quippe qui fugat ubera matris. *nahánzz* invidia, a *nab* primus, *ánzn* persona, eoquod invidus quærat primo, quæ pro sua persona. *Cazán* fera, a verbo *czidl* dilaniare, cum fera sit dilanians, *arjúz* leo, ab *arnúl* accipere, *jnziél* corrumpere, leo enim accipit & corrumpit. significat item fortem; idque de eo verum. *Kájl* lupus, significat rapacem. *Kárn* agnus, usurpatur semper pro mansueto, idque verum de eo. *inz* pardus, dilanians, *trciún* volucris, significat habens vim volandi. *akagág* gallus, ac si *ajkagag*, ab *ajk* mane, *agág* cantans, quia diluculo cantat. *zinvór* miles, a *zén* arma, *vor* indutus, quia arma induitur. *guogagbizz* conjux, a *gudg* costa, *gbizz* particeps, tam vir, quam fœmina, sic dicti, prout costis conjuncti, a principio enim mulier a costa viri facta est. *jeridasárt* juvenis, significat jam ter denorum annorum. significatio innata etymologata. *isduncaniél* a *isd* extra, *ángn* auris, extra aurem rejicere, nempe, negligere, transgredi, & spernere. *jergbin* cœlum, ac si *jergbájn*, longum, amplum, re quidem vera amplitudinem cœli quis metiri potest? *Hajasdán* Armenia, ac si *Hajrasdán*, a hájr pater, asdán terra, locus, nempe Patris Noé terra. *ararát*, seu *arar ájt*, aut *ararádz*, aut *arárdut*, aut *arár árd*, aut *arar ántr*, etymologiæ mysteriorum plenæ, atque mirum in modum alludunt ad loci declarati conditionem; significant enim, fecit iste, creatio, fecit ibi, fecit agrum, fecit iterum, fecit egredi, creatio nova, generatio, productio, agricultura in isto loco, cum enim Deus ibi præstiterit egredi Noé, & facta nova generatione, ac productione, requiescente Arca super illum Montem, ille Mons commonefacit hominum genus semet fuisse liberatorem terræ a

male-

maledictione diluvii. Quorum memini, ea huc adduxi tantum, innumera sunt quippe etymologata nomina, ac verba, quæ in laudato Dictionario, nemo est, qui non mirabitur.

Juxta talem intrinsecam nominum, ingenitamque atque radicalem etymologiam in sola lingua Armena vigentem intelligitur impositio nominum a primo homine sapientia prædito facta, perquam apta, cum ex Angelico Doctore etymologia attendatur secundum id, a quo imponitur nomen ad significandum, 22. *q.* 92. *a.* 1. Si igitur Hebræa Lingua prætendit injuste sibi arrogare primatum, antiquitatemque linguarum, eoquod etymologata videantur solummodo nomina nonnulla, ut patebit clarius infra, quo majori jure meritoque soli Armenæ tribuendam esse primatus, antiquitatisque rationem quis sanæ mentis compos negare poterit, cum character ille etymologiæ jam demonstratæ vigeat atque existat in ea ipsa testis innegabilis & primatus, & antiquitatis, & immutabilitatis, & identicæ actualis ejusdem existentiæ? ergo, ut sigillatim demonstravi, prout promisi, & ut ex præcedenti quoque probatione perspicue ostensum est, satis probata manet propositionis veritas.

IV. Lingua Hebraica est prima hominum lingua, ut autumant nonnulli; quia non pauca in Scriptura Sacra reperiuntur vocabula, atque nomina propria ante Turris ædificationem, quæ in lingua ipsa etymologantur. ergo ipsa est prima, non autem Armena.

Respondeo primo, quod ista est sane causa, quæ Scriptorum aliquorum deliniens inclinavit mentem ad istam opinionem, qui invicem perinde venerantes, & obsequentes, nec non castigantes examen in trutina aliena,

na, afferere volunt, quod ab invicem audiunt, quia poffint tamen affignare, quomodo, vel quare; dico itaque non effe iftam rationem firmam, & fic facile quoque deftrui. Etenim Moyfes eoquod fcripferit Pentatheucum in Lingua Hebræa, atque Hebræis, pofuit multa nomina in ea *interpretative*: ejufmodi pene vocabula Hebraica adhibuit, quibus manifeftabantur rerum fignificatus; exempli caufa: quia Lamech cum generavit filium, vocavit eum tali nomine, quod habebat fignificatum quietis, ideo Moyfes in manifeftando id, adhibuit illud nomen; item in aliis; atque id eft moris communis hominum manifeftare res illa lingua, qua fcribunt libros, tam in elucubrando, quam interpretando; quemadmodum Scriptores veteres in elucubrandis, exponendifque rebus Noë, atque Diluvii, adducunt nomen Noë non hoc nomine Noe, quod non fignificat aliquid apud eos, fed alio vocabulo, quod in fuo ipforum Idiomate fignificat aliquid. Ut aliqui vocant eum xifiutrem, & alii Saturnum, & alii alio modo. hinc non poteft confirmari, quod Noe vocaretur ab initio tali nominatione, fed quod ifti Scriptores adducunt nomen ejus illis vocabulis, quæ fignificant in fuis ipforum linguis. Item in Verfione Armena *Gen.* 26.20. legitur Ifaac vocaffe nomen Putei *zrgúmn* privatio; quo non oftenditur puteum illum vocatum fuiffe ab Ifaac hoc vocabulo *zrgúmn*, fed in lingua Ifaac tali vocabulo, quale fignificat hæc vox Armena *zrgúmn*, interpretando. Ita etiam Jofephus *l.* 1. *Antiquit. c.* 3. cum dicat Armenos vocare *Apobaterion* illum locum, quò egreffus eft Noe ab Arca, non vult oftendere Armenos vocare illum locum illo vocabulo *Apobaterion*, fed illo vocabulo in Lingua Armena, quod fignificat vox Græca *Apobaterion*, quatenus ifthæc vox fignificat locum, quò fit egreffus ad in-

intolendum, qui est *Icevân*; sic intelligito etiam de aliis.

Respondeo secundo, ut fatentur ipsi quoque Adverrarii, inesse Pentatheuco hominum, civitatum, aliarumque rerum non pauca nomina propria, quorum radices non etymologantur in lingua Hebræa, nec significant quidquam; ergo juste inferri dico ipse, non posse esse ipsam omnium antiquissimam, neque Adami linguam; *ut Gen.* 2., 23. 3., 20. 11., 9. 10. 10., 11. 12. *Exod.* 2. 10. atque variis in locis, in quibus sunt interpretata nomina, atque explicata. Præterea, res est notatu digna, qui linguæ Hebreæ videntur favere, eos fateri primo, non esse probationes demonstrativas, quas deducunt ipsi ex characteribus majoris brevitatis, ac simplicitatis, monumentorum antiquorum, atque Electionis populi Hebræi, sed tanquam rationes congruentiæ, & conjecturas probabiles; Et quia existimant eam matrem Chaldaicæ, Syriacæ, ac Arabicæ, ideo placet ipsis tribuere eidem primatum ob indicatos characteres.

Fatentur insuper certum esse, recedendo multum a locis, & regionibus, quas incoluere primi homines, parum evidentiæ dari primitivam reperiendi linguam.

Hinc dico ipse, idem ipsum fulcimentum, & sustentaculum Adversariorum majorem mihi causam præbere, argumentumque mihi suppeditare perquam favorabile confutandi, refellendi primatum adscitum linguæ Hebrææ, atque confirmandi, corroborandi magis magisque, quod enucleandum, confirmandumque suscepi; propterea dixi in Responsione prima: volunt asserere, quod audiunt ab invicem, sed absque studio a justo ratiocinio profecto defendendi veritatem, quæ ni immediate, saltem mediate a Sacris literis indicatur; quia:

Respondeo quoad primum characterem, primo, Linguam

guam Turcicam multo breviorem esse Hebraicâ, atque clariorem; etenim una voce exprimit id, quod ad Hebraice, Chaldaice, Græce, Latine, Theutonice, atque Illyrice exprimendum necessariæ sunt quatuor, quinque, vel sex voces; en exempla: *satdrtdrámadm* non *potui facere*, *ut facerent vendere*. *virmediimdén coquod noluerim ipse dare*. *virmediinisdèn Kudurdular. quia noluistis dare*, *idèo furiosi facti sunt*. Infinitæ id generis expressiones brevissimæ, propriæ utique istius linguæ licet pluribus ex linguis pulcherrime, superbeque derivatæ, naturæ & rationi. Ob hunc ergo characterem habituram esse linguam Turcicam primatum, atque præferentiam præ cæteris in vetustate dicendum? nonne esset prætensio stulta, necnon illatio insubsistens, teste etiam celebri illo Hermanno Hugone *c.* 13. *de prim. scrib. orig.* variis, quas deducit a variis linguis, probationibus?

Moyses per suum Pentatheucum excludit profecto, destruit, & eliminat quamcumque fabulosam inventionem Paganorum, atque incredulorum delirantium, suisque perspicuis ac præclaris verbis condemnat quamcumque diversam explicationem cujuscumque chimerici, animique pertinacis, ab ignorantia, vel malitia exortam, quæ non minus ad auctoritatem Scripturæ Sacræ destruendam tendit, quam miracula in ipsa indicata, quæ sunt unum ex motivis efficacibus, ac rationabilibus credibilitatis, atque validissima, & sensibilissima probatio Religionis; quandoquidem Deus ipse causa fuit immediata tum primæ hominum linguæ in primo homine conditæ, tum Babelicarum linguarum confusionis, *Gen.* 11. 7. quæ accidit præcipue super eos, qui primi extitere auctores consilii arrogantis, quod Deo ipsi displicuit.

Quis est sane, qui ignoret monstruosa de ipso su-

premo Numine; nec non lege naturali veterum Philosophorum, gentiumque commenta? Ecquis erit in tot tantisque controversiis judex, nisi qui falli & fallere non potest? ipsa nempe divinæ revelationis auctoritas. Præclare ratiocinando confringit, consutat, & dirimit Lactantius *l. 3. c. 27.* quascumque effutientium opiniones, commentaque, animis cupiditate, arrogantia, vel ignorantia corruptis exorta; *nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & auctoritate majori, id est, divina illa carent; nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam esse ille qui præcipit*. Quod ergo Philosophi revelationis face illustrati tam sancte scripserint, non excellentiori ingenio, sed maxime divino lumini tribuendum. Atque tandem contra excogitantes quoscumque, & chimericos concludo verbis Augustini, *de Genesi ad literam; indubitanter tenendum est, quod quidquid sapientes hujus mundi in suis voluminibus contrarium Sacris literis docent, sine ulla dubitatione credamus id falsissimum esse, & quoquo modo possumus etiam ostendamus. Item Epist. 122.; rationi enim maxime consentaneum est divinæ nos auctoritati captivos subdere*. cum Deus evidentissima & omnium intelligentiæ accomodata suppeditaverit credibilitatis motiva.

Respondeo secundo, indicatum brevitatis characterem derogare omnino perfectæ primi hominis scientiæ, quippe qui cognitis rebus cunctis imposuerit nomina eis, docueritque posteros suos perfectam rationem communicandi aliis conceptus mentis juxta omnes declinationis nominum circumstantias, eorumque accidentia, & omnia modorum tempora verborum conjugabilium ad distinguendas actionum circumstantias necessarias, ut testatur Scriptu-

ptura ipſa Sacra: *creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi: conſilium, & linguam, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum. Eccleſ. 17. 5.* Quis negabit plurimas ex dictis conditionibus nominum, verborumque deeſſe in lingua Hebræa propter majoris ſuæ brevitatis characterem adeo decantatum? Qui certe character oſtendit eſſe eam potius novum Idioma, imo Dialectum quamdam genitam, pauperem, mendicam, inſtar tot Idiomatum Europæorum, quæ ortum ducunt ex Latino pauciſſimis radicalibus ornato, quod pluribus quam ſexies millibus radicalibus ex Græco divite, ſonique fœminei compote uſurpatis, ope plurimarum particularum, quas genuina Armena radicalibus quippe omnibus prædita & opulenta maxime abhorret, tum nominibus, tum verbis adjunctarum, locuples ſe ſe exhibet, ut non ſolum ſcientias callentem quemque minime præterit, ſed ipſe etiam Villotte teſtatur hiſce verbis: *hoc proprium eſt Linguæ Armenæ, & ſingulare, quod vocum copiam illam de ſuo totam habet, nihil de alieno; omnes fere Europæ populos videmus propriarum linguarum immenſæ molis vocabularia tenere, e quibus ea ſi detraxeris, quæ a peregrinis linguis mutuati ſunt, ingentem illum acervum continuo videbis ruere, & in minimam molem redigi; hæc eſt Armenæ linguæ præcipua laus, quod aliam linguam matrem neſcit, unde traxerit originem.* Verum fateri auctorem clare liquet a veritate ipſa compulſum. Dialectum inquam utique ſimilem rationi ac ſyntaxi partim linguæ Arabicæ jactitantis de ſuorum vaſtitate vocabulorum, verborumque, mediante tamen magna copia particularum variarum utriſque additarum, ſed non vario-

 rum,

rum, distinctorumque radicalium, in quibus vera linguæ consistit opulentia; partim vero Turcicæ in pronominibus demonstrativis, ac possessivis consistentibus in variis quibusdam literis, & in præpositionibus, quæ sunt in ea semper postpositiones, raro vigente vocalium usu in scribendo, adeo ut denis lineis per affixa quædam nominibus, ac verbis postposita, vel per diversas literas verbis insertas ad variandum eorum significatum actualem negativum, vel assertivum, vel transitivum item, quæ vicem gerunt tot pronominum, præpositionum & adverbiorum, exprimatur id, quod triginta vel pluribus forte Latinis, vel quavis alia lingua textis vix exponeretur ex vera, integraque sententia, ut peritos haud fugit, neque inficias ire poterunt.

Tertio, fatentur, inquam, iidem, in lingua Hebræa, & sic in Pentatheuco multa esse nomina propria, & alia, quorum non etymologentur radices, nec significent quidpiam; sed nescire se dicunt, neque cognoscere, cujusnam linguæ sint illæ, atque nomina esse fatentur peregrina, cujusnam nescitur linguæ, quæ ignoratur.

Dico ipse: quia ignoratur, ideone non existit? etiam Athenienses adorabant, quod ignorabant, *Ignoto Deo*: & quia ignorabant, ideone non existebat Deus ille suis attributis perfectissimus, admirabile, & amabile rerum conditarum Principium, ut prædicavit Apostolus dicens eisdem: *quod ergo ignorantes colitis*, *hoc ego annuntio vobis?*

Sic assero ipse quoque: cognoscere oportet linguam illam, quæ extitit, existit, & existet una cum sua ipsius Natione, suis perfectissima attributis, necnon cæterarum omnium principium, utpote originem ducens ab Adamo capite, ac Principio humani generis, ut probatum fuit su-

supra, magisque probabitur in tota justi ratiocinii amplitudine, ut luculentius cernatur veritas.

Adversarii vident Armenos, & audiunt quidem loquelam eorum, sed nescientes, nec distinguentes eam, imo confundentes, atque putantes eam, velut Græcam, velut Turcicam, velut quamdam aliam; *quod ignorantes colitis;* sed unde hoc? quia cum procul sint admodum a cognitione literarum, librorumque illius linguæ, ideam veram non habent, distinctam, completamque omnium illius attributorum, totiusque perfectionis, ac propterea non distinguunt illam a cæteris omnibus; *Ignoto Deo*: cum nè apicem quidem illius intelligat vel Græcus, vel Turca, vel Arabs, vel Hebræus quispiam, seu potius Chananæus, vel alia quævis Natio, nisi prius studio adhibito, vel assidua consuetudine illam didicerit. Ubi tamen vident sese in quibusdam locis difficilibus, & intricatis, obstringuntur dicere: sunt nomina peregrina cujusnam nescitur linguæ, quæ ignoratur; quemadmodum Athenienses quoque zelantes cuicumque numini cultum perhibere, nescientes ad quem deum confugerent imminente morbo pestilentiæ, ut liberarentur ab ea, consulti idcirco, sacraverant aram hac inscriptione: *Ignoto Deo*, & obtulerant quidem ei sacrificium, ad quem perinde pertineret sedare pestem; quæ significat omnino veram ignorantiæ, cæcitatis, tenebrarum mentis pestem, quam potest depellere unus verus Deus ad cognoscendum verum, amandumque illud, sine cujus ope in ignorantiæ tenebris quisque jaceat, ac tabescat, est necesse. Utique, descriptæ linguæ Armenæ opus est offerre debitum linguarum primarum venerationе prosequendo eam, ut Principium, ac Reginam cæterarum omnium, ad omnem sedandam altercationem,

 omne

omneque dubium; *quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

Fatentur iidem Matrem eam, & non derivatam ab Hebræa, uti Chaldaicam, Syriacam, Arabem, aliamve fortasse derivatam putant, nego tamen ipse, neque connumeratur ab eisdem cum cæteris Babylone conditis. Existit illa usu assiduo in Armenis frequentissimis innegabiliter existentibus, iisque cognitis, ac distinctis a cæteris omnibus universi Orbis Nationibus, qui initiatè, localiter, inalteratè, & assiduè loquuntur Armenicè juxta patriam suam ipsorum linguam, ex quo Armenia existit, & non est eversa, etiamsi reddita subdita.

Neque valet dicere mutatam fuisse, aut perditam linguam Noè, & ita Armenorum. Nam, si ante linguarum confusionem, esset contra auctoritatem Scripturæ Sacræ; si verò post confusionem, potuissent sanè Adversarii facere mentionem de ejusmodi mutatione, aut perditione, argumento quopiam circumstantiis fulto, nec non authenticato ab aliquo Historico vetere cujuscumque Nationis, ut impugnare possent propositionis veritatem, primatumque jure meritò tribuere linguæ Hebreæ, aut alicui alteri. Sed supponamus etiam factam hujusmodi objectionem insubsistentem, jam est supra data responsio debita.

Igitur aut fuit infusa illa a Deo in singulis Armenis, aut oportet clarissima ratione vigente fateri eam oriundam ab Adamo, hæreditatam a Noè, nec non propagatam ab isto in filios, atque nepotes.

Respondeo nunc quoad monumenta, seu scripta antiqua, de quibus prætendunt iidem gloriari gratis pro lingua Hebræa, & dico: præterquàm quod fuit Moyses

adoptatus a filia Pharaonis, educatus in Aula ejus, atque institutus priùs literis Ægyptiis, ut colligitur *Exod.* 2. 10. & *Act. Apostol.* 7. 22. *Eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum*. atque ex Calmet afferente in lexicon Biblico super vocem scribere, & literam, *ante Moysen fuerunt literæ, ut ex ipso ejus opere exprimitur, usum scribendi familiarem habuisse Ægyptios, unde Hebræi divulsi sunt. Moyses in universa Ægyptiorum scientia excultus fuerat, quare scribere pariter didicerat*. Debuit, inquam, Deus revelare legem suam juxta linguam illorum, quibus, & pro quibus eam revelabat, ut dicetur infra, imò eo tempore tàm Moyses, quàm Hebræi ipsi loquebantur quadam linguâ non genuina, nec pura, sed mixtâ & alterata a vocabulis Chaldaicis, ac multò magis Ægyptiis, ut probabitur infra.

Non prætermittendam hic judicavi animadversionem de prima literarum origine, atque scribendi. Sciendum igitur a veritate defensæ hujus Propositionis dependere seu Corollarium decisionem illius; licet Scriptores tot varias opiniones antebabelicas, & postbabelicas proferant, atque conjecturas etiam, oppositas tamen invicem, quippe quæ sine lege vagantes, solidoque fundamento carentes, ut cuique licebit legere eas in Hermanno Hugone *de prim. scrib. orig.* Quisquis enim supponit primatum linguarum in Idiomate Hebræo, judicat item, tribuendam esse eidem ipsi primam quoque literarum, nec non scribendi originem. Non deest, qui tribuat eam Phænicibus, seu Chananæis, alius Assyriis. Quamvis verum sit, ut asserit Hugo ipse quoque, non tàm fuisse frequentem illis primis temporibus usum literarum, tùm quia nondum essent notæ, nisi paucis, ut so-

folet contingere in primis principiis rerum fere omnium; tùm quia essent rara studiorum, negotiorumque commercia; hinc Chaldæi, Pitagoræi item, & Druidæ propagabant per manus posteris pleraque sua mysteria *ágrapha*, ut observavit Julius Scaliger *l.* 1. *Poet. c.* 11. Quod in principio etiam a Latinis esse factum refert Livius *l.* 6.; tùm etiam raræ, ac paucæ fuerunt literæ illis temporibus; una custodia fidelis rerum gestarum memoria; ut etiam ab initio literæ Græcorum fuerunt solùm sexdecim, ita Latinorum quoque, postea adinventæ cæteræ, & additæ a variis auctoribus secundùm varias opiniones, non minùs, quàm emendatæ formæ earundem, cum essent antea rudes. Ita etiam quoad literas primæ linguæ hominum, Armenæ scilicet, fuit doctissimus, ac peritissimus beatus Mesròb Armenus, qui eas restauravit in formas pulchriores reducens, atque adinveniens nonnullas quoque paucas ad genuinum, distinctumque aliquarum vocum sonum aptandi eas studio, necnon diphthongis quibusdam sufficiendi, ut constans, ac communis Traditio Nationis confirmat; quamquàm apud Armenos doctos reperirentur libri Persarum quoque, atque Græcorum literis scripti, cum cœpissent ipsi jam perdiscere eas ob relationes commerciorum, & conventionum cum aliis Nationibus vigentium, ut refert etiam Chorenensis.

Asserunt Opmerius *fol.* 16. suimer *Chron. & Plinius l.* 7. *c.* 56. *æternum sibi videri esse literarum usum;* nempe ab omni hominum memoria, etiam initio conditi Orbis fuisse literarum usum.

Clara quoque sunt verba Suidæ, voce Adam: *Adamus primus homo factus manu Dei, bujus sunt artes, & literæ, bujus scientiæ rationabiles, bujus prophe-*

phetiæ, leges scriptæ, hujus denique sunt omnes inventiones, & disciplinæ, & quidquid utile, ac necessarium vitæ, & convictui.

Theodorus Bibliander *c. de orig. liter.* refert, Plutarcum, mota quæstione, cur *alpha* primum locum obtineret inter literas, respondere, *alpha* significare quippe bovem Phænicibus, quem existimant ipsi primum inter res necessarias: (*utpote qui coleretur ab eisdem*). *Alpha* autem bovem significat apud Hebræos: igitur iidem sunt Phænices, & Hebræi. *Ita Hugo*. Sed ut *djp* prima litera primæ hominum linguæ, Armenæ inquam Araratensis, est longè mysteriosa, utpote exhibens Deum; idque ob plures rationes; primùm, quia sicut *djp* est prima in omnibus literis, ita etiam Deus est primus in omnibus entibus, ut a se existens causa eorundem. Quapropter, cum dixisset S. Joannes ex persona Christi: *Ego sum djp, & cbé*: subnectit quasi explicans mysterium: *primus, & ultimus*. Secundò, quia sicut *djp* est una litera, sed habet tres ramos, ita Deus est una essentia, sed habet tres personas; atque sicut in vocabulo unusquisque ramus ejusdem est una eadem *djp*, ita in Sanctissima Trinitate unaquæque persona est unus idem Deus. Sic indicatur a S. Patriarcha Niersés in suo ipsius poemate alphabetico. Tertiò, quia sicut hæc litera abundat vocabulis magis, quàm cæteræ omnes, ita Deus abundat bonis magis, quàm universa entia. Et propter has omnes rationes convenienter habuit isthæc litera sortem, ut non solùm esset prima litera nominis *Asdvàz* Dei, cum *djp* sit principium omnium literarum, quemadmodùm Deus est principium rerum omnium, & in omnibus, sed etiam prima litera primæ

linguæ in primo homine infusæ a Primo Principio in sæcula sæculorum benedicto.

Respondeo quoad populi Electionem, cui innituntur iidem in defensionem antiquitatis linguæ Hebrææ conservatæ in Patriarchis, & dico nimis imbecillem esse ejusmodi objectionem; quandoquidem non loquor ipse hic de particulari quadam lingua, sed generali, quam testatur Scriptura Sacra fuisse unam eamdemque totius terræ. Poterat quidem Deus infundere per miraculum, non diffiteor, cognitionem non unius dumtaxat linguæ, sed plurium quoque, non in uno Patriarcha, sed in pluribus quidem, ut infudit eam Spiritus Sanctus in Apostolis die Pentecostes, tamen de ejusmodi infusione alicui Patriarchæ facta nulla fit mentio in Sacris literis, sed omnes linguæ præter primam, Noè nempe, conditæ fuerunt Babylone, ut probatum est supra. Præterea Electio respicit particularem populum, sed lingua concernit generalitatem, & totalitatem; aliàs esset deducere generale a particulari; hinc ejusmodi electio nullam habet relationem ad conditionem linguæ. Deus ex sola gratuita electione elegit populum particularem Judaicum, non ut lingua ejus esset prima, aut quia fuerit jàm ea, aut quia decuerit fuisse eam, eo quòd fuerit electus, aut esset eligendus ipse solus inter tot populos, sed quia promiserat Abrahæ, ejusque filiis, fore, ut nasceretur Christus ab eis. *Ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est Patribus tuis Abraham, Isaac, & Jacob. Deut. 9.* Et quænam promissio facta fuerit eis, ostendit Apostolus *Gal. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus, qui est Christus. Deus igitur & legem*, (non quidem primatum linguæ) *& alia beneficia specialia illi populo exhibuit propter promis-*

sio-

sionem eorum Patribus factam, *ut ex eis Christus nasceretur. Decebat enim*, *ut ille populus*, *ex quo Christus nasciturus erat*, *quadam speciali sanctificatione polleret. S. Thom.* 1. 2. *q.* 98. *a.* 4. *Quorum est adoptio filiorum*, *& testamentum*, *& legislatio*, *quorum patres*, *& ex quibus Christus est secundum carnem*. *Rom.* 9.

Insuper, Abraham, qui fuerat primus Pater, & Patriarcha Hebræorum, & electus a Deo, ut esset Caput stirpis, ex qua nasciturus erat Messias, fuit primus vocatus Hebræus, ut Hugo, necnon le Maitre de Sacy, cum cautis Interpretibus asserunt; & fuit sic vocatus a Chananæis, quippe qui veniret inde ab Euphrate; nam isthæc vox significat in Idiomate Hebræo, imò potius Chananæo, *hominem transfluvianum*, neque derivatur ab Heber filio Sale nepotis Sem, ut nonnulli decepti sunt; sicut clare patet *Gen.* 14. 13. ubi Abram dicitur Hebræus, & ante ipsum nemo legitur in Scriptura Sacra vocatus hoc nomine *hebræus*. Neque est nomen Nationis hæc vox *hebræus*, sed significat Abrahamum flumen transeuntem, ideòque denominati eodem nomine posteri ejus. sicut confirmatur id *Josue* 24. *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio*, *Thare pater Abraham*, *& Nachor*. Etenim *heber* præpositio cum *ájn* præfixa, infima parte gutturis pronuntiatâ, eo sono, quem vim sibi quandam inferens ad faciendum aliquid, edit, aut vitulus matrem vocans, significat *trans*, ideòque hæc vox *Hebræus* derivativa significat *transeuntem*; cum litera autem *he* vehementiùs sonante, formatâque paulo superiùs in principio gutturis, ore minimè compresso, significat *participem*. Abraham ex qua Natione extiterit, quæque fuerit nativa ejus lingua, probabitur infra ex Scriptura Sacra.

Objicies iterum : Scriptores scripserunt mente humana, aut solùm interpretati sunt, sed Moyses revelatione Dei scripsit libros, & non secundùm mentem suam interpretando; ergo qualia erant nomina rerum, talibus vocibus fuerunt ei manifestatæ a Deo; ergo etiam Moyses scripsit iis vocibus, quibus nominabantur res, antequàm confunderentur linguæ.

Respondeo, Deum, cum revelat quidquam alicui, non revelare secundùm linguam extraneam, sed secundùm linguam, quam habet ille, cui revelat; & quia Moyses habebat etiam linguam Hebraicam, revelavit ei Deus secundùm linguam Hebræorum, quibus dabat legem, Moyses quoque scripsit secundùm illam linguam; quo multò magis ostenditur Moysem non secundùm primam linguam, sed secundùm linguam suam scripsisse. Ex vocum itaque Hebraicarum significatione interpretativa, quas adhibet Moyses, non potest demonstrari linguam Hebraicam esse primam. Cum, ut supra quoque responsum est, apprimè perpendisset id celeber ille Advocatus Venetus Joannes Antonius de Constante *tom. 1. pag.* 106. 107. & 108. edito an. 1780. inquit *ejusmodi rebus non posse asseri linguam Hebræorum esse primam*; & adductis proinde dictis Rabbinorum, qui inquiunt etiam, voces Hebraicas naturaliter significare, non verò ex voluntate hominum, ridet de hujusmodi eorumdem ratiocinio; plurimisque rationibus insistit linguam illam Hebræorum non esse primam; atque addit *de eo nè somniari quidem posse, non quòd demonstrari*; quemadmodum etiam *S. Greg. Nyssenus orat.* 12. *contr. Eunomyum* sic affirmat: *Moyses usus est unâ ex iis linguis, quæ post Turris ædificationem ortæ sunt; & existimant*

mant nonnulli in Scripturæ Sacræ studio subacti, *recentiorem esse aliis linguis Hebraicam*.

Objicies iterum: Radices omnium vocabulorum aliarum Nationum sunt vicinæ Hebraicis, ut varii testantur Scriptores. Ergo lingua Hebraica est prima, ac principium omnium.

Respondeo primo, istam objectionem nimis probantem nihil probare; quia si prima hominum lingua remansit in ædificatione Turris secundùm radices omnino eadem in omnibus, & mutata est tantummodo secundùm circumstantias, ergo non fuerunt confusæ hominum linguæ, sed variatæ sunt solùm secundùm aliquas circumstantias, & ita poterant etiam facilè se se invicem intelligere; atqui hoc est contra testimonium Scripturæ Sacræ; ergo fundamentum falsum ejusmodi ratiocinii ex se ruit, & continuo destruitur.

Respondeo secundò: si scriptores, dum dicunt *aliarum Nationum*, intelligant Chaldæos, Syros, Arabes, Chananæos, Phænices, &c. concedo, & est verum, quia non solùm radices vocabulorum eorum, sed omnes quoque linguæ eorum sunt vicinæ linguæ Hebraicæ, imò sunt eædem secundùm essentiam, & solùm secundùm circumstantias differunt, & secundùm aliquas tantùm voces, ut non fugit callentem eas; quemadmodum probant etiam Bocardus, Huetius, Valton, &c. atque ea differentia est, quæ intercedit Dialectos inter Linguæ Armenorum habitantium Julphæ, Constantinopoli, & Achuli; aut quæ intercedit Latinam inter & Italicam, Gallicam, atque Hispanicam.

Si autem dicentes *aliarum Nationum*, intelligant omnes alias Nationes, Græcos nimirum, Dalmatas, Scythas, Armenos, &c. nego constanter; estque prorsus sine

ſine fundamento, ideòque falſum; quia iſtæ linguæ ſunt ita procul ab Hebraica, ut Oriens ab Occidente, & maximè Armena tùm natura, tùm Syntaxi, atque diſcrimine maximo non minùs literarum, ut jam dictum eſt, quàm accidentium nominum, verborumque, &c. ut clarum eſt plenè diſtinguenti eas; perfectèque poſſidenti.

Illis autem, qui non ſolùm opinantur radices Linguæ Armenæ eſſe vicinas Hebraicis, ſed etiam prætendunt confirmare Linguam Armenam eſſe eandem cum Syriaca, Arabica, & Chaldaica, adeoque etiam cum Hebraica, adeo uſque ut percipiant etiam invicem, ut liberè ſcribunt nonnulli, cum acceperint a Strabone *l.* 1. *pag.* 41. *&* 42. quemadmodum reputat Calmet quoque in *Expoſit. Script. Sac. tom.* 1. *in Prooem. pag.* 20. *& in Expoſit. Gen.* 10. 22.

Reſpondeo primò, excuſandam eſſe totalem iſtorum objicientium ignorantiam, quia cum non habeant plenam, adæquatamque dictarum linguarum cognitionem, nequeunt pertingere ad verè accurateque diſtinguendam unam ab aliis, adeo ut ideo facilè etiam inter ſe diſſidentes oppoſitas protulerint ſententias, nec non lapſi quoque fuerint in manifeſtas contradictiones, quin tamen velim ipſe declarare hic eos, etſi citare eos non prætermiſerim quoad id quod ad propoſitum conſilji finem attingendum prodeſſe ratus ſum.

Reſpondeo ſecundò, modum opinandi iſtorum objicientium nihil abeſſe ab opinione illius, qui Turcicè interrogans quemquam, undenam eſſet; reſpondenti ſe eſſe *muſullù Ninivitam*, dixit: ſumus igitur vicini invicem, ſum enim ipſe quoque *Misrli Ægyptius*. Quia cum voces *Muſul*, & *Msr* ſint pronunciatione vicinæ in-

invicem, opinatus est ille indoctè a vicinitate soni vocum *Misr*, & *Musul* civitates etiam nominatas istis vocibus esse vicinas, atque contiguas. Sed quàm longè erraverit, nemo est, qui non percipiat. Ita etiam isti Scriptores, nec non Expositores, cum Armenia sit finitima Assyriæ, atque Chaldææ, ideo forte opinati sunt linguas etiam earum communes esse, atque vicinas. Sed quàm sit falsum id, præterquam quod patet multis ex capitibus, clarissimum quoque est vel paucam habenti cognitionem de differentia essentiali, ac substantiali, quæ intercedit Armenam genuinam inter, & alias indicatas.

Respondeo nunc dictis aliquorum inconvenientibus, ac insubsistentibus, quibus insistunt, & prætendunt Linguam Hebræorum esse ab Adamo usque;

Et primo eorum, qui dicunt: Moyses loquebatur in lingua Abrahami, hic in Thare, hic in Heber, hic in Sem, hic in Noè, hic autem in Adami; quia hi, dicunt, directè descendunt generatione; ergo lingua Adami directè descendit ad Moysem.

Si ista ratio valeret quidpiam, sequeretur, quòd; quia omnes aliæ Nationes descendunt directè cum generatione a Noè, & Adamo, ergo etiam lingua earundem debèret descendere ab Adamo. Sequeretur præterea, quod est absurdum pejus, quòd non fuerit facta confusio linguarum in ædificatione Turris; quàm verò falsum sit hoc, satis perspicuum est iis omnibus, qui amant ratiocinium justum, ut defendere veritatem valeant.

Secundò eorum, qui dicunt: Heber petivit quidem Sennaar, sed non assensit in opus ædificationis Turris, & ita neque ejus lingua remansit confusa, sed libera in eo, & sic &c.

Nam

Nam etiam ipsi asserunt alibi contrarium, nempe quòd Heber erat Architector ædificii Turris, atque Belus robustus, qui præerat cunctis, administrabat venatione sua cibum fabris, &c.

Etiam Cornelius Alapide, quamvis priùs arbitratus esset primam hominum linguam esse Hebræam, veritas tamen ipsa haud passa est eum, quod verum est, diffiteri in exponendo: *ut confundamus linguam eorum:* hisce suis verbis: *In hac confusione Deus tantum Matrices linguas condidit, easque hominibus indidit, ex his enim ceteræ postea prognatæ sunt, sic Hebraica Matrix & genitrix est Syriacæ, Chaldaicæ, Arabicæ; & Latina Italicæ &c.* Clare igitur patet ex eodem quoque linguam Hebraicam non fuisse primam, quia *condita in hac confusione, & Matrix* dictarum linguarum.

Quinimò, ut magis clarè demonstretur linguam Hebræorum fuisse unam ex Babylone confusis, sic argumentor.

Lingua Hebræorum est lingua Chaldæorum; atqui lingua Chaldæorum fuit confusa; ergo etiam lingua Hebræorum.

Probo Majorem: lingua Hebræorum est lingua Abrahami; sed lingua Abrahami erat lingua Chaldæorum; quia Abraham erat ex Chaldæis, ut clarè docet Scriptura Sacra *Gen.* 11. 28. & 31. *Judith.* 5. 6. & *Act.* 5. 4. ergo lingua Hebræorum est lingua Chaldæorum.

Ast dices cum aliquibus: lingua Chaldæorum derivata est ab Hebraica, quæ est prima.

Dico falsum esse id; quandoquidem lingua Hebræorum, quæ descendit ab Abraham, derivatur tota a Chaldæis, quia testatur Scriptura Sacra Abrahamum fuisse ex Chaldæis,

ut

ut etiam Thare patrem ejus, & Nachor patrem Thare. Atque magis manifeſtatur in libro *Judith.* 5. 5. ad octavum uſque verſiculum; nam, cum Holofernes princeps militiæ Aſsyriorum ſciſcitatus eſſet, quis, & quanam ex natione eſſet populus Iſraël, tunc Achior dux filiorum Ammon reſpondens ait: *Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conſpectu tuo, de populo iſto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falſum ex ore meo: populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt: hic primùm in Meſopotamia habitavit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum, deſerentes itaque &c.* Quis poteſt ergo negare & Nationem, & linguam Hebræorum eſſe ex ipſis Chaldæis?

Probo Minorem:

Primò: lingua gentium diviſarum, quæ profectæ ex Armenia terra Ararat deſcenderunt in terram Sénnaar, & habitaverunt ibi, juxta teſtimonium Scripturæ Sacræ; fuit confuſa in ædificanda Turre; ſed Chaldæi ſunt ex illis gentibus, quæ exierunt ex parte orientali Armeniæ, & ex tunc uſque habitant in finibus Sennaar in Meſopotamia, ut perſpicuum eſt; ergo multò magis eorum lingua fuit confuſa, neque remanſit prima.

Secundò: ex abſurditate: Si enim lingua Chaldæorum non fuit confuſa, qui habitabant, & habitant in loco confuſionis, ſequitur primò, quòd etiam lingua Aſyriorum, & Arabum, & Chananæorum, & Phænicium, &c., non fuerint confuſæ; quia iſtæ linguæ, ut dictum eſt, ſunt eædem ſecundùm radicalem ſubſtantiam, & ſolùm ſecundùm circumſtantias ſunt diverſæ.

Sequitur ſecundo: quòd nè aliarum quidem Nationum

num fuerint confusæ linguæ; quia confusio linguarum facta fuit in habitantibus in terra Sennaar, ubi erant congregatæ gentes præter Noè, & habitantes in Armenia, qui remansére ibi, ut probatum est supra, atque ex Sennaar diffusæ fuerunt cæteræ omnes Nationes exortæ a confusione linguarum diversarum in omnes alias mundi partes. Porro si lingua gentium, futurarum nationum, habitantium in illa terra, non fuit confusa, nullius igitur Nationis fuit confusa lingua; quia non erat tunc alibi alia natio, nec varietas linguæ; *ecce unus est populus, & unum labium omnibus. Gen. 11. 6.* Sed istæ consequentiæ patenter sunt falsæ, utpote adversantes Scripturæ Sacræ; ergo est falsum etiam antecedens.

Philosophanti cuidam, qui dicit: *video magis inconfusas remansisse linguas eorum, qui habitabant, & habitant ibi, ubi facta fuit confusio linguarum, quàm eorum, qui habitant in locis, ubi non fuit facta confusio*: respondendum est, visionem istius Philosophantis esse visionem sanè extraordinariam; videt enim id, quod non est, neque videt id, quod est, ut patet ex eo, quod dixi supra.

Etenim dixi supra in consequentia Demonstrationis, linguam Hebræorum fuisse magis confusam, atque commistam, quàm Chaldæorum; nam, ut colligitur ex Sacris literis, Abraham egressus è terra Chaldæorum, peregrinatus est in terra Chananæorum, ut etiam filii ejus, & nati natorum; quia verò isti tractabant semper cum Chananæis, multa ideò vocabula, rationesque dicendi commistæ fuerunt in lingua descendentium ex Abraham, ut obtingit etiam aliis, qui habitant in medio Nationum alienarum. Quemadmodum asserit laudatus quoque

Hu-

Hugo c. 13. de ling. Hebr. orig. Sic sentio linguam Hebraicam non aliam fuisse, quàm Chananæam ipsam, unam ex iis, quæ ortæ sunt ex Babelica confusione, cum igitur Chaldæâ Patria profectus Abraham in Chananæam venisset, linguam regionis illius perdidicit, & linguæ bujus characteres scribendo usurpavit; bilinguis itaque fuit Abraham, Chaldaicæ nimirum linguæ, quam ad Babelem ex confusione quoque natam puto, & Chananææ peritus; qua unâ ejus posteri utpote vernaculâ contenti, aliam neglexerunt. Hebraica verò dicta est, quoniam ab Hebræis usurpabatur, qui postquàm Babylonem captivi ducti fuere, tum verò ex Chaldæorum, inter quos dispersi erant, commercio, patriam inquinarunt loquelam; & ex Chaldaicæ, ac Hebraicæ confusione tertia prodiit lingua, quæ Syriaca dicta est, quaque Christus, & Apostoli usi sunt.

Et cum Ægyptum petentes proinde annos quadringentos inter Ægyptios remansissent, quamplurimam misturam recepit lingua eorum ab illis Ægyptiis, quia cum illis erant omnino commisti; adeo ut, afferente Circerio Historico apud Calmet in ***Prooem. Exod. pag.*** 283. possit dici eodem modo aut Ægyptios factos Hebræos, aut Hebræos factos Ægyptios.

Postquàm verò exierunt illinc Hebræi, cum scripsit Moyses quinque suos libros, clarè patet, non scripsisse eum illos eâ lingua, quæ esset aliena a lingua illorum Hebræorum; quoniam scripsit pro eisdem legem datam ei a Deo pro eisdem, quæ lingua ad illa usque tempora valde erat variata a genuina Chaldæorum lingua.

Atque ut confirmetur Propositiò hoc quoque argumento, perorando fere ita ratiocinor:

Si lingua Hebræa, aut quævis alia, esset prima ho-

hominum, Armeni deberent loqui in illa; atqui non loquuntur in illa, quia minimè intelligunt illam; Ergo lingua Hebræa non fuit prima.

Probo Majorem: Si illa esset prima, Noè debuisset loqui in illa; Sed non est locutus in illa; Ergo si lingua Hebræa esset prima, Armeni deberent loqui in illa.

Probo Minorem: Si Noè locutus esset in illa, etiam ejus filii, & descendentes eorum debuissent loqui in illa; quia nondum contigerat confusio Babelica;

Sed in Armenia, ex quo est Armenia, existens in Asia, ubi extat Mons ille altus Ararat, ubi descendens Noè ex Arca fecit sibi *Jcevân*, ubi multiplicati sunt descendentes a filiis in filios, non fuit facta locutio in alia lingua ab eisdem, nisi in Armenica, quæ ad hunc usque diem ibi perdurat, atque in Armeniis ubicumque degentibus naturali hæreditate, secundùm continuatam, & non interruptam, aut alienatam hæreditatem immemorabilis épochæ, nunquàm negatam ab aliqua Natione finitima, aut ab aliquo Adversario probatione aliqua evidenti, verisque circumstantiis fulta; Et quia ex primitiva, ac râdicali significatione significant, necnon etymologantur in lingua Armena tantùm, ut satis probatum supra, non solùm nomina rerum, verùm etiam locorum, ubi Noè egressus ab Arca habitavit cum suis filiis, posterisque, plantavit, ædificavit, vixit, & mortuus est tum ipse, tum conjux ipsius, &c.; Ergo hæc ipsa fuit, & est prima hominum; hæc enim fuit Noè, qui a principio una cum suis filiis incoluit Armeniam terram Ararat, non autem terram Judææ, vel Chaldææ, vel Persidis; quia verò Noè, fuit etiam naturâ, ac necessariò Adami, quia ille in lingua hujus loquebatur.

Sed

Sed suppofito etiam juxta opinionem aliquorum, non tamen conceffo, iviffe Noè in Sennaar, ubi non jam affenferit arroganti fuperborum illorum confilio Turris Architectorum, fed conſortem fe folummodo exhibuerit ambitiofis illis fuum ipforum nomen celebre reddendi futuræ pofteritati in erigendo monumento illo magnifico, *Gen.* 11. 4. ipfe tamen cum aliis, præfertim Auguftino *de Civit. Dei l.* 16. *c.* 4. admittam id nunquam, né hominis lædatur humilitas, ac fingularis juftitia, *Noe vir juftus, atque perfectus fuit in generationibus fuis, cum Deo ambulavit. Gen.* 6. 9. & fic in hypothefi, non veritate tamen, remanfit nihilominus prima ipfius lingua in habitantibus in Armenia a tot annis in univerfa illius vaftitate multiplicatis. Minoris igitur veritas fatis liquet.

Mihi tandem videor haud male ftatuiffe colophonem addere huic meæ Differtationi argumento illo longè admirabili ab ipfa natura humana profecto, tam vero, tam fenfibili, tamque innegabili, ut nulla Orbis univerfi natio diffiteri exiftentiam illius poffit, etiamfi qualitatem, rationemque illius nefciat, neque animum ad illud quodammodo advertat; imò, fi haud nefciret, non redderetur verum, quod protuens fuftineo; nè animum quidem ad illud advertere valet, nifi fola Natio Armena Araratenfis, utpote ipfa fola intelligat fuæ ipfius vocem linguæ, cum ipfa fola primæ linguæ a primo homine exortæ, jure ac conditione poffidentis potiore, Jufta Hæreditaria exiftat; ita ut ipfa quoque natura fingulis horis, nè punctum quidem temporis effluere finens, prædicet univerfis Orbis Nationibus veritatem hactenus demonftratam, tantifque confirmatam argumentis, atque plenum myfteriis fateatur arcanum; etenim ftatim-

ac

ac cadit infans ab utero matris, clarè ipse repetens profert hanc vocem *ingá ingá* cecidi cecidi; significans se cecidisse non solùm in lucem hujus mundi, sed in duplicem etiam infirmitatem a culpa primi hominis ortam, confitens ipse & manifestans voce illa Armena, hanc ipsam, non aliam, esse linguam primi sui Patris naturæ hominum propagatoris; a qua infirmitate ex gratuita Dei misericordia liberatus homo sanctorum Sacramentorum beneficio; Servando integrè Decalogum; Offerendo assiduum cordis pœnitentis & humiliati sacrificium; Præferendo vitæ etiam propriæ amorem, ac timorem Dei; Nunquam negligendo procurare idem proximo; Audiendo semper Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit;* Destruendo otium, quod matrix est, atque radix vitii cujuscumque & miseriæ; Cohibendo cupiditates effrænatas opprimentes & excæcantes, similesque homines brutis furentibus, imò pejores eis reddentes; Perdiscendo semper, audito Verbo Dei, primam, quæque maxime omnium interest, scientiam seipsum perfectè cognoscendi (juxta septem sapientes, *nosce te ipsum, finem videre longævæ vitæ, &c.* quorum cum nullus existimasset se esse sapientem, tripodem aureum in rete repertum acceptare recusavit, Deum bonorum omnium largitorem confitens. O humilitatem æternis efferendam laudibus; pudeat Christianum non esse se humilem, cujus verum signum est humilitas, quam solam vincere Omnipotentem, Cœlique pandere januam asserit S. Greg. Narieghensis Ecclesiæ Armenæ Doctor, quia *Sacrificium Deo spiritus humilis. cor mundum, & spiritum humilem Deus non despicit. ex Vers. Armen.*) ad amandum proinde se ipsum amore vero, non inordinato, omnium fere vitiorum fonte; A munere status sui

exa-